



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXV. Vtrùm concursus Dei, vt primæ causæ, ad supernaturales actus
auxilium supernaturale sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

latius asserenda simul essent verba præcedentia, quæ sic habent. Illud autem Pelagianorum virus est, olumque damnatum, quo putant gratiam secundum meritum hominum posse conferri, & sequentia, quibus concludit, principium salutis & fidei à gratia capisse. hoc autem initium iam sepe ostensum est, esse vocationem, & illud donum gratiæ est, de quo in allegatis verbis dicit, Non præcessisse Paulum operando; sed fuisse subsequutum. Et respectu eiusdem ait, fuisse Paulum cooperatorem gratiæ, subsequendo, & obeam gratiam ait dixisse Paulum; non ego, sed gratia Dei mecum, præponendo gratiam præcedentem se. Neque Sancti aliam præuenientem gratiam, quæ Paulum præueniret, nos docuerunt; neque est vnde suspicemur Gelasium in alio sensu esse loquutum.

17.
Ad Trid.
tum de
additione.

Ad tertium ex Tridentino respondetur contrarium conuinci ex eisdem verbis, nam cum dicit liberum arbitrium esse à Deo motum, & excitatum non duas gratias præuenientes ponit, sed quia generali verbo dixerat motum declarat modum motionis, addendo, & excitatum Alioqui fingi etiam posset ante excitationem præcedere, aliam motionem, quod friuolum est. Deinde excitationem per vocationem declarat, & illi immediate adiungit cooperationem, nullamque aliam gratiam præuenientem, & mediam inter gratiam excitantem, & nostram cooperationem nobis tradit. De gratia verò cooperante nihil ibi expressè, sed in correlatio ex parte nostra illam comprehendit, & simul cum nostra cooperatione coniungi significat. Neque aliud alio modo inlinuauit de gratia adiuuante in cap. 5. vt ex verbis eius appertè constat & supra satis ostensum est. Prosper autem operantem gratiam, quæ non est alia ab excitante, præuenientem meritò censuit, & ideo præoperantem illam vocauit, numquam tamen de cooperante significauit esse præuenientem, alias illam etiam præparantem posset appellare.

Ad Prose-
rum.

Ad D. Thomam concedimus Deum mouere voluntatem hominis per gratiam cooperantem, non tamen motione distincta ab illa, qua se mouet ipsa voluntas & ideo illa motio vt talis, nullo modo esse potest gratia præueniens, sed comitans. Vnde in vtraque consequentia, quæ ibi fit, est clara deceptio gratia enim cooperans, vt talis est, non est principium mouens, vt est prius natura, quam sua motio sed vel est motio ipsa, vel est principium agendi, vt denominatur, vel constitutum in actu secundo per illam, & sic mouens, seu agens in actu secundo, non est prius natura, quam eius motio, seu actio, cum per illam formaliter constituatur.

19.
Ad rationes
de yllatæ.

Ad primam rationem distinguenda est minor in omni opere meritorio mens nostra mouetur physice à Deo, motione cooperatiua verum est, præuia, seu præueniente, non est verum nisi ratione gratiæ excitantis, de qua loquitur Paulus ad Rom. 8. vt passim exponit Augustinus, & lib. 5. videbimus. Gratia autem excitans licet physice à Deo fiat, & vt sic possit dici physica præmotio, non tamen influit physice in concursu sed moraliter. Et nihilominus licet in se, & vt excitaes sit præuium, & adiuuans, & cooperans, & comitans. Ad secundam quidquid sit de antecedente, quoad particularitatem causarum negatur consequentia, quia duæ causæ totales in suis generibus, quarum vna pendet ab alia essentialiter in agendo, possunt simul natura concurrere ad eandem rationem, & effectum, vt de causa prima, & secunda paulo post ostendemus, & de potentia, & habitu ipsi etiam arguentes concedunt. Idem ergo esse poterit de gratia operante, vt sit cooperans concurrente cum voluntate. Aliàs nullus posset esse influxus simultaneus secundum naturam

à gratia simul, & voluntate, quod neque illi auctores dicere audent, vt insequentibus videbimus.

CAPVT XXV.

Virum concursus Dei, ut prima causa ad supernaturales actus auxilium supernaturale sit.

Hactenus illa gratiæ auxilia explicuimus, quæ ad suppleendam, & iuuandam imbecillitatem & infirmitatem virium liberi arbitrij ad operandum bonum diuina liberalitate conferuntur, quæ omnia ad causalitatem particularem causæ secundæ, seu proximæ spectant, vt explicatum est, nunc dicendum nobis est de concursu generali Dei vt primæ causæ; nam etiam propriissimè potest auxilium vocari, & inter auxilia adiuuantia recenseri, vt supra tetigimus. Disputationem autem de illo in hunc locum distulimus, quia & propriam quamdam rationem auxilij habet, & hoc tempore singularem habet controuersiam, quam hoc loco exactè disputare necessarium duximus, vt ad similem disputationem de auxilio efficaci viam paremus. Solet autem distingui concursus in simultaneum & præuium seu in concursum in causam ipsam secundam, vt agens est, & in effectum, seu actionem eiusdem causæ. Nos verò concursum præuium necessarium esse non credimus, & ideo in his prioribus capitulis de concursu simpliciter loquentes simultaneum intelligimus, illo verò explicato, de præuiò inquiremus.

1.
S. aris quæ
stionis de
concursu
primæ cau-
sæ vt sic ad
actus pietatis.

Primùm ergo statuimus potentias nostras siue nudas, siue etiam habitibus infusis instructas indigere concursu Dei vt vniuersalis causæ ad supernaturales actiones eliciendas. Hæc assertio certissima est, neque in illa est controuersia inter modernos: omnes enim damnant sententiam Durandi in 2. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1. qui negauit essentialem dependentiam voluntatis in suis actionibus liberis ab actuali concursu, & influxu Dei, quam etiam in Origene damnat D. Thomas 3. contr. gent. cap. 89. dicitque esse euidenter contra Scripturam. Supra etiam libro 1. retulimus graues auctores sentientes errorem hunc damnatum fuisse in Pelagio, qui vt saluaret libertatem, videtur constituisse voluntatem nostram omnino independentem à Deo in operando; sic ergo veritas contraria probari potest. Primò locutionibus Scripturæ generalibus, de operibus humanis, siue naturalia sint, siue supernaturalia, vt est illud Act. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus, vbi in verbo viuimus non tantum substantialis vita, quæ satis fuerat in verbo sumus comprehensa, sed etiam actualis vita, seu opera vitæ rectè intelliguntur, quamuis etiam possunt sub verbo mouemur contineri. Item illud 1. ad Corinth. 12. Deus operatur omnia in omnibus, vbi Paulus de supernaturalibus operationibus apertè loquitur, & Iliias cap. 16. dixit, Domine, omnia opera nostra operatus es in nobis quod maximè de supernaturalibus intelligi debet. Secundo possunt asserri testimonia, quæ specialiter de supernaturalibus operibus loquuntur, vt est illud Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, & ad Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere. & illud 1. ad Corinth. 13. Plus omnibus laborant, non ego sed gratia Dei mecum. Ratio verò est, quia non minus pendet habitus infusus à Deo vt prima causa in suo esse, & operari, quam alia principia creata, vt latius dixi lib. 3. de auxiliis cap. 3. & 4. in Metaphys. disput. 22. sect. 4.

2.
1. Conclus.
potentiæ
creatæ siue
nudæ siue
habitu in-
structæ in-
digent con-
cursu causæ
primæ ad a-
ctus super-
naturales,

3.
2. Conclu-
sio id cer-
tum est in
potentia
instructa
habitu ia-
fuso.
Et probatur
ex depen-
dentia ef-
fentiali en-
tis creati à
causa pri-
ma.

Secunda videtur certum & recipiendum ab om-
nibus ad eliciendos actus supernaturales per ha-
bitus infusos necessarium esse auxilium Dei vt
causæ primæ concurrentis per actuale influxum
in ipso supernaturali actu, qui sit essentialis depen-
dentia eiusdem actus à causa prima. Probatur,
quia omnis entitas creata essentialiter pendet im-
mediatè à Deo tanquam à causa per se & principali
in suo genere: nam hoc de essentia entis participati
sed actus isti supernaturales sunt entia participata
& actiones per quas fiunt, eo modo quo aliquid
sunt etiam sunt entia per participationem; ergo per
se ipsas fluunt immediatè à Deo vt ab illo essentiali-
ter pendunt. Et hac ratione probamus in locis al-
legatis contra Durandum, non solum omnes effe-
ctus causarum secundarum, sed etiam omnes actio-
nes earum immediatè fluere, & pendere à Deo. Et
quia actio non pendet ab agente per aliam actio-
nem, sed per se ipsam inde concludimus ipsam me-
tè actionem causæ secundæ per se ipsam pen-
dere à Deo; ex quo vltèrius inferimus contra non-
nullos modernos in emanatione effectus à causa
secundæ, & primæ, non interuenire duas actio-
nes, vnam causæ secundæ, & alteram primæ. quæ
est expressa sententia D. Thomæ 1. p. q. 105. art. 5. ad
2. la 3. contr. gent. cap. 70. ratio sit quia necesse est vt
ipsamet actio causæ secundæ per se ipsam fluat, &
pèdeat à primæ; est ergo vna indiuisibilis actio, quæ
duplicem habet habitudinem, & vt est à creatura
dicitur actio eius, vt verò est à Deo, dicitur concu-
sus, seu auxilium, eius simultaneum. Hac ergo om-
nia cum proportionem applicanda sunt ad actio-
nes supernaturales, etiam si eliciantur ab habitibus
nam eadem omnino ratio in eis versatur. Et in hoc
puncto nobiscum conueniunt moderni Thomistæ
nam licet requirant auxilium adiuuans præuium
& quasi medium inter habitum, & actionem eius,
non tamè negant auxilium hoc per modum actua-
lis concursus, & influxus immediati in effectum,
quod etiam vocant auxilium simultaneum, vt vi-
dere licet in Aluarez. disp. 20. & Ledesma in art.
3. ad 8. & ferè toto art. 4.

Ledesma.

4.
1. Concl.
liti concu-
sus siue au-
xilium ad
actus super-
naturales,
est etiam
supernatu-
ralis & or-
dinis gratiæ
Aluar.
Ledesma.

Tertiò videtur etiam certum, & ab omnibus
concedendum, hoc auxilium simultaneum, seu
concursum necessarium ad actus supernaturales
eliciendos etiam per habitus esse supernaturale &
ordinis gratiæ, hoc etiam docui in dicto lib. 3. de
Auxiliis, & indicta disp. 22. Metaphys. Et postea id
latissimè probarunt Aluar. dicta disp. 20. & Ledes-
ma in dicto art. 4. vbi variis testimoniis, & ratio-
nibus hoc confirmant. Testimonia verò sunt illa
quæ generaliter tradunt ad singula opera pietatis
necessarium esse actuale, auxilium Dei, quæ nos su-
prà lib. 1. latè adduximus, & reuera intelliguntur
etiam de iustis per habitus infusos operantibus, vt
nos etiam in c. 6. huius libri latè probauimus, &
docet apertè Concilium Arausicanum can. 10. & 25.
& Celestinus Papa in sua epist. cap. 9. & 10. & Au-
gustinus lib. de Corrept. & grat. cap. 1. & ex Scri-
ptura apertè colligitur, nam cum Paulus dixit, *Deus*
est, qui operatur in nobis velle, & perficere, etiam de seip-
so, & generatim de hominibus iustis loquebatur,
& Christus ad Apostolos iam iustificatos loqueba-
tur cum dixit, *Sine me nihil potestis facere*, Ioan. 15. Ac
denique non minus iusti, quàm peccatores inuo-
cant Deum. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me*, Ps. 26.

5.
Neque de
auxilio tan-
tum exci-
tante, sed
etiam adiu-
uante.

Dicere verò potest aliquis hæc sufficienter colli-
gi de actuali auxilio gratiæ excitantis, quod etiam
esse necessarium iustis suprà cap. 6. extendimus.
Verum tamen per hoc non potest excludi neces-
sitas gratiæ adiuuantis, quia ad quemcumque ac-
tum est necessaria gratia excitans, est etiam neces-
saria nona gratia adiuuans ex parte Dei, iuxta do-

ctrinam Augustini in Enchirid. cap. 32. dicentis, *Concilio*
Restitutum intelligitur non volentis, nec currentis, sed mi-
serentis est Dei, vt detur totum Deo, qui hominis voluntatem
bonam, & preparat adiuuandum, & adiuuat preparatam.
& lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 18. Quod
nos ad Deum conuertimur, nisi Deo excitante, &
adiuante, non possumus, & alia quæ ex Conciliis,
& Patribus de necessitate gratiæ adiuuantis in su-
perioribus adduximus. Nec possunt illa omnia ad
solos peccatores, seu operantes sine habitu limita-
ri, tum quia indefinire, & generaliter loquuntur,
& tales locutiones doctrinalis, & æquivalent vni-
uersalibus, tum etiam, quia sæpè loquuntur spe-
cialiter de iustis, vt patet ex Augustino lib. de natur.
& grat. c. 16. vbi prius dicit cum Deus iustificat ho-
minem, & ad perfectam sanctitatem deducit, non
deserere illum, nisi ab ipso deseratur: intelligit au-
tem non desinere quoad adiutorium, quo homo et-
iam iustificatus inagget. Vnde subiungit, *Sicut ocu-*
lus plenissimè sanus nisi candore lucis aditus non potest cer-
nere, sic homo etiam perfectissime iustificatus, nisi aterna lu-
ce iustitiae diuini adiuuetur, recte non potest viuere, & in
eodem sensu dicit lib. de grat. & lib. arbit. c. 6.
Necessarium est homini etiam cum fuerit iustificatus ex fide
vt ambulet cum illa gratia, & incumbat super ipsam ca-
da. quod variis testimoniis Scripturæ confirmat,
& apertè loquitur de gratia actuali distincta ab
ipsis habitibus, consequenter de propria actione
Dei vltra influxum ipsorum habitum: nam ad hoc
requiritur tale adiutorium Dei, vt homo per ip-
sos habitus possit operari; ergo saltem necessarium &
auxilium adiuuans per modum concursus super-
naturalis, quia inter actualia auxilia hoc est (vt ita
dicam) minimum auxilium physice adiuuans in
ordine gratiæ.

Rationes autem quamplures accumulamus dicti
auctores ad hanc veritatem confirmandam, eo
quod existimant in ipso puncto se Molinam impu-
gnare, referunt enim illum dixisse qui habet infu-
sum habitum, non indigere supernaturali auxilio
ad singulos actus supernaturales. Vtique in Con-
cord. disp. 26. & 27. & 36. 37. 38. 39. & in disp. 4. huius
dixisse fertur hominem in statu innocentie potuisse
habere actus supernaturales cum habitibus su-
pernaturalibus, & auxilio generali naturali. Mihi
autem non videtur tot rationes necessaria, quia
suppositis principiis fidei, res est euidentissima;
agimus enim de concursu illo simultaneo, qui
est in ipso actu deliberato voluntatis, seu quo im-
mediatè talis actus pendet à Deo. Cum ergo fides
doceat illum actum esse supernaturalem, siue in
substantia, siue in modo, planè euidentis est depen-
dentiam illam intrinsecam, quam habet talis actus
vt supernaturalis est à Deo, eiusdem ordinis esse,
ac subinde supernaturalem quod substantiam iux-
ta veram sententiam de actu supernaturalitate.
Quomodo enim potest essentialis dependentia ef-
fectus esse inferioris ordinis, quàm ipse effectus.
Item terminus intrinsecus illius concursus, qui est
ipsemet actus immanens, vt est quædam qualitas
in facto esse, hic, inquam, terminus est supernatu-
ralis, principium etiam immediatum illius influ-
xus est supernaturale: nam est Deus vt auctor gra-
tiæ; non vt auctor naturæ: ergo etiam influxus ipse
sui concursus est supernaturalis, quia via esse de-
bet proportionata termino, & principio, à quibus
sub quacumque ratione spectetur, speciem sumit.
Imò licet concursus hic esset aliquid præuium in
potentia, & distinctum ab actu supernaturali, o-
porteret esse motionem, vel qualitatem supernatu-
ralem, & per se infusam: tum quia aliàs non esset
apta ad influendam in actum supernaturalem, &
ita esset superflua; tunc etiam, quia talis motus
non

non est naturæ debita, neque potest fieri per causas naturales, etiam si sub illis Deus, ut auctor naturæ comprehendatur.

Hæc igitur rationes nobis sufficiunt, præsertim, quia nulla difficultas alicuius momenti in contrarium occurrit supposita vera, & catholica doctrina de horum actuum supernaturalitate. nec etiam in hoc puncto est controuersia inter Catholicos Doctores. Neque Molina, si attentè legatur, & sincere exponatur, contrarium docuit in locis, in quibus allegatur. nam in dicta disput. 4. numquam dicit Adam in statu iustitiæ potuisse per habitum charitatis cum solo auxilio generali naturali diligere Deum, sed præcisè dicit cum communi auxilio, vel influxu. Itaque particula illa *naturali* addita est, neque includitur in auxilio communi. nam auxilium commune latius patet, quàm naturale, ut statim dicam. In aliis verò disputationibus non habet illam negatiuam, scilicet Deum non concurrere ad hos actus auxilio supernaturali, sed eodem modo loquitur, dicens, Deum concurrere immediate ad hos actus per suum concursum generale, vel vniuersalem, quia nulla causa secunda etiam si supernaturalis sit, nisi à Deo immediate influente adiunetur quicquid efficere potest, ut expressè habet disp. 36. aliàs 37. §. Cum autem. ubi etiam dicit vnicam esse actionem in tali actu, quæ est à Deo, potentia, & habitu, & illam dicit esse in se supernaturalem, & licet consideret quasi specificatiuè, aut determinatiuè habere à principio proximo supernaturalitatem, non dubitat tamen quin effectiue tota sit ab illis principiis, & à singulis eorum in suo genere, & ideo vocat illas causas partiales partialitate causæ, non effectus. de qua locutione paulo post dicam. Et disp. 36. §. Quoad primam, expressè dicit Deum per suum supernaturalem influxum non solum concurrere ad hos actus, sed etiam euehere alias causas, ut illos producant. & in §. Hinc liquet, repetit Deum supernaturalitatem influere in hos actus, & idem habet q. 23. art. 4. membro 6. ad primam obiectionem.

Solet autem Molina interdum loqui de hoc auxilio generali, actus esset vnum quid indifferens ad influendum in actus naturales, & supernaturales, & ideo putatur vocare illud commune, non communitate rationis, seu causalitatis, ac si esset vnus numero indifferens ad actus naturales & supernaturales, vel saltem ita vnus, ut semper sit eiusdem ordinis naturalis. Sed hæc & in se improbabilia sunt, & in mentem eius nunquam venerunt, quia ille non ponit alium concursum præter eum, qui imbitur in ipsa actione causæ secundæ, & ideo dicit esse influxum in effectum, & non in causam: ergo non potuit cogitare vnum numero concursum Dei, qui sit aliquid creatum, dari ad omnes actiones voluntatis, cum singulæ intimæ inducant suum influxum, vel esse vnum specie, vel eiusdem ordinis, cum expressè dicat Dei concursum modificari in vnaquaque causâ secundum naturam, & speciem eius.

Igitur hic concursus Dei duobus modis considerari potest. Primò ex parte Dei, & quasi in actu primo, & sic non est aliquid distinctum ab ipso Deo, sed est ipsa voluntas Dei parata ad concurrendum, & sic dicitur de se indifferens, quia parata est voluntas Dei ad concurrendum cum voluntate creatæ iuxta modum cooperationis eius, tam ad actus naturales, quàm ad supernaturales, & ad bonos, & ad malos. Secundo potest concursus Dei considerari, ut fluens à Deo, & in actu secundo, & sic nunquam est in se indifferens, aut communis communitate (vita dicam) reali, sed rationis: nam in se semper est modificatus iuxta exigentiam terminus sui effectus, & consequenter semper est aut natura-

lis in actibus ordinis naturæ, aut supernaturalis in actibus ordinis gratiæ, ut in vtroque ordine est diuersarum specierum pro diuersitate actuum. Quia verò in quocunque effectu hic concursus est à Deo, ut à causa vniuersali, & non propria, & particulari: itemque, quia hæc dependentia à Deo generalis est omnibus actionibus creatis, idè secundum hanc considerationem dicitur hic concursus communis, vel vniuersalis communitate, & vniuersalitate rationis, non rei: & simili modo dicitur generalis, quia est à Deo, ut generaliter influente, & secundum eundem respectum dicitur esse eiusdem rationis, non specificæ, vel naturalis, sed abstractæ, & quasi transcendentalis.

Ad hunc ergo modum verè dicitur auxilium adiuvans ad actus supernaturales, quâdo est per modum concursus primæ causæ esse auxilium generale; quia necessitas eius non provenit ex particulari excellentia actuum supernaturalium, sed ex generali conditione omnium actuum creatorum, quæ est essentialiter pendere à primo actu increato, quamvis vnusquisque actus postulet hanc dependentiam iuxta modum, & perfectionem suam, peculiari etiam modo dicitur hoc auxilium generale in ordine gratiæ, quia licet consideratum absolute secundum suam entitatem & perfectionem sit speciale, quia & est altioris ordinis, quàm omnia auxilia naturalia; & quia non erat debitum homini secundum naturam suam spectato; nihilominus comparatum ad alia auxilia gratiæ, & præsertim ad habitus infusos rectè dicitur generale, quia seruat eandem proportionem ad principia supernaturalia, quâ concursus ordinis naturæ ad virtutes naturales.

Quartò dicendum est, sicut concursus ordinis naturæ est debitum virtutibus naturalibus, ita hic concursus supernaturalis est debitum virtutibus supernaturalibus, in quo aliquo modo deficit à ratione gratiæ omnino indebita, sicut de concursu naturali diximus l. 1. c. 1. & tradit Soto l. 1. de nat. & grat. c. 206. 2. quam assertionem tradidi etiam in l. 3. de Auxil. c. 3. n. 4. eam verò referens Ledesma dicta q. art. 4. Ledesma corollar. 2. post 5. conclus. eam impugnat, dicens, contrarium commune esse inter Theologos, præcipue discipulos D. Thomæ, nimirum concursum generalem, etiam si sit proportionatus virtuti causarum secundarum, non esse illis debitum. Ratio autem eius est, quia concursus generalis, seu auxiliū generale in ordine gratiæ est auxilium efficax: sed auxilium efficax non est debitum; ergo auxiliū generale non est debitum. Minor probatur, quia quoties voluntas actu non diligit Deum, non recipit auxilium efficax, & tamen nullum auxiliū illi debitum denegat illi Deus; ergo auxilium efficax non est debitum.

Hæc verò ratio melius probat auxilium efficax physicè præueniens, & determinans voluntatem non esse necessarium ad generalem concursum Dei, cum voluntate, & habitibus eius, sine acquisitis, sine infusis, quàm quod generalis concursus non sit debitum causis secundis. Nam hoc profectò negari non potest, loquendo de illo debito, quo proprietates connaturales vnicuique rei debentur, quod debitum sufficit ad fundandam aliquam rationem iustitiæ in Deo, sicut dixit D. Thomas 1. p. q. 21. art. 4. Quis autem neget concursum connaturalem & proportionatum esse veluti proprietatem quandam connaturalem vnicuique virtutis, ergo talis concursus est debitus, hoc nimirum debito connaturalitatis. Et hac ratione id asseruit Soto dicto lib. 1. de natur. & grat. cap. 2. Nec ego inueni Theologos contradicentes, quos oporteret in præsentem allegare, imò multi dicunt voluntatem aliquam violentiam pati, si sufficienter proposito obiecto, & positis aliis requisitis ex parte eius ei denegetur concursus ad amandum, & ideo amorem non eliciat, quod tenuit Alman. in tract. 1.

L 4

Moral.

Medin.
Vasquez.
Probatur
ratione.

Moral. cap. 2. & sequitur Medina 1. 2. q. 6. art. 4. quæ doctrina maximè fundatur in hoc, quod talis concursus est debitus, vt notauit Vasquez 1. 2. disp. 26. cap. vltimo. Confirmatur primò. Nam potentia debetur actus proprius hoc debito connaturalitatis, & ideo dicunt Theologi intellectui lumine gloriæ eleuato deberi visionem beatam, & similiter materiæ proximæ dispositæ & organizatæ ad esse hominis, debetur anima rationalis, & hac ratione est naturaliter debita creatio animæ rationalis. Ergo simili modo debetur lumini gloriæ concursus ad visionem beatam, & idem est cum proportionem de cæteris virtutibus tam infusis, quàm acquisitis. Confirmatur secundò, quia si non debetur igni concursus generalis, non erit contra ordinem naturaliter debitum negare illum talem concursum sicut ille auctor dicit, non esse contra debitum naturale negare homini auxilium efficax ad amandum, ergo non erit miraculum ignem non calefacere, vel non comburere pueros in camino Babylonis, quia solū nō non cōbūsit, quia defuit Dei concursus: negare autem talem concursum non fuit miraculum iuxta illam sententiam, quia negare quod non est naturaliter debitum, non est miraculum sicut negare auxilium efficax non est miraculum, ergo neque carentia actionis, quæ inde sequitur, miraculosa est, sicut non est hominem carentem auxilio efficaci, non diligere Deum.

13. Soluitur obiectio ex discrimine agētiū ne cessario ū & liberorū petita.

Fortasse verò aliquis argumento conuictus dicet, agentibus ex necessitate naturæ deberi auxilium efficax, quia generalis concursus semper est determinatus iuxta capacitatem talium agentium; agentibus autē liberè nō deberi auxilium efficax, quia nullum est determinatum ex natura talis agentis. Sed hoc in primis gratis dicitur, quia non patitur ratio cur ignobilioribus causis secundis debeatur auxilium primæ causæ proportionatum suis virtutibus, & non debeatur nobilioribus agentibus liberis proportionatum ipsis, & peculiari modo agendi illorum. Et deinde non minus miraculum esset, voluntatem de se expeditam cum omnibus requisitis ad agendum nihil liberè velle ex solo defectu concursus, quam ignem non cremare ex defectu sui concursus; ergo tam est debitus voluntati concursus ad liberè volendum, sicut igni ad calefaciendum. Est tamē notanda diuersitas, vt igni debetur vnus determinatus concursus, voluntati autem minimè, sed indifferens iuxta illius naturam, seu multiplex sub diuisione, vt ita non explicem, id est, concursus ad volendum, vel nolendum, aut ad volendum hoc, vel oppositum.

14. Quale sit illud discrimen respectu concursus debiti.

Vnde sequitur aliud discrimen, nam respectu agentis necessarii debitus est (vt ita dicam) absolutus, id est, nullam includens conditionem, quæ non ex naturali necessitate compleatur: respectu verò voluntatis liberæ, licet absolute debeatur cōcursus sub diuisione, modo explicato: determinatus autem concursus ad talem actum non debetur, nisi sub conditione pendente ex libertate voluntatis, nimirum si per ipsam non steterit, seu dum modo ipsa cooperetur. Hæc autem conditio habet locum in auxilio efficaci comitante, vt per se patet, & in lib. 5. dicitur. Et ideo tale auxilium potest esse debitum modo prædicto, & actu non dari, quia ex parte Dei non denegatur, imo semper est paratus sub prædicto modo, & conditione, & quoties de facto non datur positis aliis prærequisitis ad agendum, solum est ex defectu conditionis ex parte hominis deficientis. Dicta verò conditio non ita locum habet in auxilio efficaci physice præueniente voluntatem, quia tale auxilium, vt actu conferatur non potest pendere ex libero vsu voluntatis, vt in

lib. 5. ostendam. Ex quo (vt dicebam in principio) potius infertur nullum esse tale auxilium efficax, quod possit esse generale, aut necessarium ad liberam actionem voluntatis; tum, quia necessitas illa non esset composita, sed absoluta, cum non pendeat ex vsu libero voluntatis, tum etiam, quia eo ipso quod tale auxilium determinatum pro solo Dei arbitrio dari dicitur, vel negari, est euidentis argumentum, illud non pertinere ad concursum generalem, & essentialiter dependentiam secundæ causæ à primā in agendo, vt ex dicendis in sequenti capite patebit.

Quæret fortasse aliquis, an hoc debitum intelligatur solum respectu eius, qui ex habitu operatur, videri enim potest ita esse asserendum, quia hoc auxilium non debetur voluntati secundum se, est autem gratia, sed ratione virtutis supernaturalis, ergo non habenti habitum non debetur hoc auxilium. Respondeo, ponderetur argumentum concludere non deberi debito connaturalitatis, nihilominus tamen alia ratione dicendum est ex conuenienti ordine diuine providentiæ, peccatori iam sufficienter excitato ad fidem vel penitentiam, vel similes actus moraliter esse debitum hunc concursum. Ratio est, quia licet excitatio non sit principium physicum, est principium morale sufficiens in suo ordine, & datur, vt homo possit moraliter conuertere, & ideo secundum rectum ordinem providentiæ secum asserit paratum auxilium physice adiuuans, si per hominem non steterit, & hoc est morale debitum, de quo loquimur. Accedit, quod homo sic excitatus potest liberè consentire, & ad hunc finem datur illi excitatio, & ab eo sæpè consensus sub obligatione exigitur, ergo tali providentiæ supposita, debetur illi concursus necessarius ad consensum, saltem sub ea conditione, si per hominem non steterit.

Sed quæri rursus potest, an in illo, qui non operatur supernaturaliter ex habitu, sit necessarius duplex Dei influxus in ipsum actum, vnus, quo supplet vicem habitus, & agit vt causa proxima, alius generalis causæ primæ. Videtur enim ita necessario dicendum, quia quando habitus adest, habet suum concursum distinctum à concursu generali, ergo quando Deus supplet concursum habitus adhibet etiam distinctum influxum. Respondetur, in re ipsa non esse duos influxus, sed vnum eminentiorem virtute continentem plures, quia ratione possunt tantum distinguui. Nam, vt supra dixi illa actio vnica est & simplex, ideoque etiam respectu principiorum realiter distinctorum, vt sunt causa prima, & secunda, vel habitus, & potentia non distinguuntur in re, tanquam duæ partiales actiones sed solum habitudine rationis; ergo multo minus poterunt distinguui respectu Dei, in quo ratio causæ primæ, & proximæ in re non distinguuntur, imo si ibi consideretur Deus præcisè vt causa particularis supplens vicem habitus, ille influxus vt est à Deo, est longè altioris rationis, quàm influxus habitus, quia iste est influxus principij creati, & ideo postulat concursum causæ primæ: influxus autem Dei est à principio increato, & ideo per se est independentis ab omni superiori causa. Vnde in tali influxu sic spectato, nec ratione distinguuntur concursus causæ primæ, & influxus Dei vt causæ proximæ, tum neque in ipso Deo distinguuntur ratio causæ primæ, & proximæ, neque in ipsa actione distinguui possint actio causæ primæ, & concursus causæ primæ, quia illa actio per se talis est, vt concursu alterius causæ non indigeat; ita ergo est in dicto influxu Dei in talem actum supernaturalem præcisè spectatum vt est à Deo, vt cau-

vt causa prima, & suppleme vicem habitus. Quia vero actio illa etiam est a voluntate creata, ideo respectu illius, ille influxus Dei, & habet rationem specialis adiutorij suppleme vicem habitus, & rationem concursus generalis ordinis gratiae adiuuantis potentiam creatam, & ita potest ibi ratione distingui duplex Dei concursus.

Vltimò ad quaestionem directè respondendo dicimus vltimò concursum hunc generalem ad supernaturalem actum esse verum donum ordinis gratiae gratuitum, & speciale respectu concursus generalis ordinis naturae, quae resolutio communis etiam est & singulae partes facitè probantur ex dictis: nam esse donum ordinis gratiae ex tertia assertione manifestum est, quia est donum in se supernaturale, si cut est actus ipse ad quem datur. Esse autem gratuitum probatur, quia per se non datur ex operibus, quia non requirit antecedentia opera. Elicet non detur nisi cooperantis, non tamen datur propter cooperationem, quia nullo modo cooperatio antecedit tale auxilium, sed ad summum est simul cum illo: datur ergo ad operationem cum comitante cooperatione causae secundae, gratis tamen datur. Quod si contingat praecedere aliquod meritum, vel imperatio talis auxilij, illud non potest esse fundatum in operibus solius naturae, sed in fide, & priori gratia; ideo etiam tunc est donum gratuitum, quamuis non primum, sed tamquam gratia pro gratia, quod satis est, vt non sit simpliciter ex operibus, & ideo etiam in gratia excitante idem contingere potest, vt in superioribus saepe dictum est, & in lib. vlt. latius dicemus. Atque ob eamdem causam non obstat huic parti assertio praecedens, quia licet hoc auxilium detur vt debitum habitui, vel priori gratiae, numquam datur vt debitum naturae secundum se spectare, & ideo semper illud debitum est fundatum in gratia, & consequenter ipsum auxilium est semper gratuitum tamquam gratia pro gratia. Ex quo etiam facitè patet vltima pars de auxilio speciali: nam omne auxilium gratiae comparatione naturae est speciale, quamuis respectu prioris gratiae praesertim habitualis vocetur generale in ordine donorum gratiae & per quādam conuenientiam seu proportionem ad concursum naturae. Nam sicut iste est communis ad virtutes naturales, ita ille est communis ad supernaturales. Si autem illi duo inter se comparentur absolute respectu naturae, sic concursus gratiae est specialis, quia est vltra debitum naturae: concursus autem naturalis est tantummodo, & quasi per antonomasiam generalis, quia non excedit commune debitum naturae.

Vna superest obiectio facilis, quam non omitto, quia ad magis declarandam distinctionem auxiliorum deferuire potest. Videtur ergo sequi ex dictis ad excitantem gratiam esse necessariam adiuuantem, quod videtur in conueniens: tum quia alias confunderentur istae gratiae inter se tum etiam quia tunc gratia excitans non esset prior, quā adiuuans sed vel ordine naturae posterior, vel ad summum essent simul, quod est contra supra dicta. Sequela patet, quia gratia excitans est opus supernaturale factum ab homine, ergo non potest fieri sine concursu Dei eiusdem ordinis: sed talis concursus est gratia adiuuans; ergo non potest fieri sine gratia adiuuante. Respondeo committi æquiuocationē in verbo gratia adiuuantis, proprie enim dicitur respectu arbitrij liberè operantis, & sic omnino distinguitur à gratia excitante, vt excitans est, praesertim loquendo de adiuuante per modum influxus, vt supra probatum est. In hoc ergo sensu negatur sequela, cuius probatio non procedit, quia motus gratiae excitantis non sunt à nobis liberè. Si

autem aliquis omnem concursum Dei ad omnem etiam actionem necessariam vocet auxilium adiuuans, sic verum est Deum efficere in nobis actus gratiae excitantis adiuuando, & eleuando nostras potentias ad illos efficiendos: nam eo modo, quo in illis motibus potest distingui via, & terminus, seu actio, & qualitas, potest etiam distingui auxilium quali adiuuans potentiam ad agendum à gratia formaliter excitante potentiam; ille tamen modus loquendi, vt dixi, non est vltimus, sed vtrumque sub gratia excitante, siue in fieri, siue in facto esse comprehenditur.

CAPVT XXVI.

Corollaria nonnulla, qua ex doctrina superioris capituli inferuntur.

PRIVSQUAM de concursu prauio in causam dicam operis pretium visum est ex doctrina capituli superioris, nonnullas proprietates, seu vera attributa huius concursus comitantis inferre, vt supponamus ea in quibus nulla ferè est dissensio inter eos, qui de concursu per influxum in causam dissentiunt, quae maximam lucem afferent ad intelligendam sententiarum diuersitatem in alio puncto de concursu prauio, simulque ad percipiendam efficaciam rationum vtriusque opinionis multum conferunt.

PRIMO ergo colligitur ex dictis hoc auxilium actuale quod est per modum concursus comitantis, esse aliquid creatum anime potentiis inhaerens. Hoc pro comperto habent omnes Theologi, & philosophi, etiam in sua sphaera, quia hic concursus est dependentia operationis creatae à creatore, ergo est aliquid creatum, seu factum existens in subiecto, in quo ipsa operatio existit. Inuenio tamen generatim relatum sine nomine auctoris quosdam dixisse hunc concursum non esse aliquid in creatura, sed voluntatem Dei efficacem, quia vult talem effectum fieri. Et fortasse mouebantur, quia hic concursus Dei non potest esse increatum, nisi per modum actionis Dei transeuntis: at verò Deus non operatur ad extra per actionem transeuntem, vt nonnulli opinabantur, sed per suam increatam volitionem immanentem, quae est virtute transiens, non actus; ergo illa met volitio erit concursus cum creatura ad operationem eius. Pro qua sententia allegari potest Capreol. disp. 1. q. 2. praesertim ad argumenta Durandi contra conclusionem. Sed hoc nobis nihil obstat. PRIMO, quia sententia illa falsa est, nam effectus Dei etiam manat ab ipso per actiones transeuntis respectu ipsius: voluntas autem Dei est principium talium actuum, vel per se ipsam vel per omnipotentiam, quae sit attributum ratione distinctum à voluntate, quae omnia ex Metaphysica, & ex 1. part. quaest. 16. & 45. suppono. SECUNDO, quia etiam data illa sententia non potest negari, quin in ipsamet actione creaturae intrinseca imbuta essentialis dependentia, & emanatio à Deo tamquam à primo efficiente principio, siue dicatur emanare ab illo tamquam actio, siue tamquam passio, vel mutatio quaedam creaturae; quocumque enim modo spectatur, seu appelletur illa dependentia, est concursus Dei simultaneus coefficientis cum causa secunda actionem eius. Nos verò, quia responsionem priorem veriore existimamus, eandem actionem, quae est à creatura, vt est à Deo, dicimus esse hunc concursum Dei. Et Capreol. licet supra dicat actionem Dei vno modo esse immanentem: nihilominus etiam docet, ipsam actionem externam causae secundae esse actionem Dei.

SECUNDO sequitur ex dictis, concursum Dei cum causa secunda non distingui realiter, vel actualiter ex natura rei ab actione creaturae sed tantum creaturae

Auxilium
actuale est
aliquid crea-
tum potes-
tis inhae-
rentis

Capreol.

Concursus
Dei non dis-
tinguitur
realiter ab
actione
creaturae